Runolphus Jonæ;

Homagium Islandicum.

HOMAGII ISLANDICI LÆTUS MERCURIUS

Adornatus

Humili ſtilo

RUNOLPHI JONÆ Islandi.

HAFNIÆ,
Ex Officina Typographica PETRI HAKII,
ANNO M DC L.





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO III.

DANIÆ, NORVEGIÆ, VVAN-
DALORUM GOTHORUMq; REGI AU-
GUSTO, SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMA-
RIÆ ET DITHMARSIÆ DUCI, COMITI
IN OLDENBURG ET DEL-
MENHORST.

Ecclesiæ DEI Nutricio & Patrono, secundum
DEUM Maximo,

PATRI PATRIÆ

Optimo,

Domino meo clementissimo.

Salutem, vitam, Victoriam, ab eo, qvi est ipsa
salus, vita & victoria,

DOMINO JESU CHRISTO,
humillimè & devotissimè precor.



Rande divinæ bonitatis argumentum, SERENISSIME REX, DOMINE CLEMENTISSIME, qvod literis Regis ac Prophetæ Davidis proditum extat: *In sublimi suam sedem collocavit DEUS, sed ita, ut ad humilia tàm in cœlo, qvàm in terrâ, vultus suos dimittere haud grave duxerit.* Divinæ hujus virtutis æmula est Tua MAJESTAS. Hæc in celsissimo Regalis inaugurationis Throno constituta, in humilem & abjectam Islandorum gentem, qvam ad glacialem usqve Oceanum Natura relegavit, Augustas inclytæ mentis cogitationes demittere dignata est. Neqve enim in rebus magnis æstimandis adeò sumus hebetes, ut ignoremus legationis honorem, qvo beasti Islandos, non tam Patriæ nostræ debitum, qvam à gratiâ tuâ profectum fuisse. Nec ullus nostratium est, qvi gratus non agnoscat, nullâ omninò necessitate MAJESTATEM T. impulsam esse, inter Regiminis sui primordia, ut in remotissimam ad populos Hyperboreos legationem tot sumptus erogaret. Qvippe cui de gentis nostræ humillima subjectione antea satis superqve constabat. Stipes sit oportet, atqve de homine in truncum mutatus, qvi hanc virtutem, evidentissimam pectoris vere Regii, Excelsi, æqvi, liberalis, ac paternæ in liberos propensionis indicinam venerabun-

bundus non agnoverit; Ecce haud vilescebat Sacræ Tuæ Majestati humile Islandorum nomen, secus ac fætida qvorundam de plebe homuncionum ora faxint: qvæ putidis illud calumniis subinde proscindere amant. O raram tantæ Eminentiæ humilitatem! Qvis ad tam benigni Principis genua non pronus provolvatur? pedes osculetur? Qvis ungventis amoris non perfundat? Qvis obseqvii lachrymis non irroret? Archedicam Hippiæ Regis filiam admirata est Antiqvitas, qvod, licet parentibus Augustissimis esset oriunda, haberetqve virum ac fratres Regio honore insignes, se tamen semper moderatè humaniterq́, gesserit, neqve vitam suam vel minimâ unqvam superbiæ maculâ contaminari passa fuerit. Ob qvam animi æqvitatem, qvæ in tantâ copia & ubertate bonorum maximorum inventu perqvam rara est, laudum suarum præcones non poëtas solum ingeniosissimos, sed & viros qvosq́; suâ ætate gravissimos pariter ac sapientissimos nacta fuit. Qvod bonum à Veteribus illis tantoperè commendatum mirificisq́; laudibus ad cælos evectum, nos DEI ter Opt. Max. munere, etiam auctius cumulatiusqve in te,

REX FRIDERICE TERTIE,

videmus & possidemus, deqve eo non minûs, qvam prisca illa ætas de suâ Archedicâ, nobis mirum in modum placemus. Tibi enim,

HUMANISSIME PRINCEPS,
eximia illa fortunarum ac gloriæ amplitudo nihil arrogantiæ attulit, qvin sublimis humilia respiceres. Licet igitur in Excelso Regiæ dignitatis fastigio te collocârit DEUS, humiles tamen ex alto non despicis. Te itaqve submissè adimus, veneramur, suspicimus, Serenissime Septentrionis Ocule. In te animorum, luminum acies devoti intendimus, Sol ætheris Evropæi. Ad te confugimus, ara, præsidium pauperum ac innocentûm. Tuâ luce dum perfundimur, Tuâ tutela dum munimur, Tui patrocinii aurâ donec perfruimur, salvi vivimus, securi degimus, in vado sumus. Ostendebat nobis hoc asylum confidenter adeundum esse, Legatorum, qvos MAJESTAS T. hoc anno ad nos ablegavit, mansvetissima humanitas, & humanissima mansvetudo. Demonstrabat nobis hunc tutum portum lætis animis occupandum, insignis illa & exemplo carens liberalitas, qvâ nostrates melioris notæ viros cænâ & dapsili & benè prolixâ exceptos MAJESTAS T. proseqvuta est. Hanc mirâ industriâ solertiaq; exhibuit Vir nullâ virtutum heroicarum laude non dignus, Dominus HENRICUS BIELCKE, Eqves auratus, Provinciæq; nostræ â MAJES. TUA non sine maximo Reip. nostræ emolumento præfectus. Qvod factum ut Boreæ undis atqve litoribus novum accidit & admirabile;

le; ita nulla unqvam delebit oblivio, nulla unqvam posteritas conticescet. Cujus ego etiam admiratione affectus, *hunc lætum ac gratulabundum MERCURIUM* tam popularium; qvam meo nomine emittendum duxi, ut tantæ benignitatis ac Regalis Magnificentiæ memoria conservaretur, atq; ad seros usqve posteros propagaretur. Qvanqvam autem haud ignorem, qvàm curta sit ingenii mei supellex, qvamqve exiguæ mihi sint ad dicendum vires, cum tuorum beneficiorum in gentem nostram amplitudinem considero: malui tamen imitari infantes, qvi eloqvii defectum gestibus compensant, & cùm verbis rerum maximarum pondus exprimere neqveam, aliqvo saltem indicio studium animi ad id faciendum cupidi & prompti declarare. Novos Cicerones, Demosthenes excitari oportet, qvi magnitudinem benefactorum tuorum dignis encomiis celebrare valeant. Talium silentium temeritatem meam mihi exprobrare videtur. Qvo fit, ut egò prorsus obmutescerem, nisi me clementia tua,

REX FRIDERICE, REGUM OPTIME, animaret: Nisi meæ erga M. T. observantiæ cogitatio pectus stimularet: Et deniqve pietas in patriam ad hoc audendum inflammaret. Ad extremum, illud silentio prætereundum non censeo, in qvo salutis Reip. nostræ cardo vertitur: Ut

nos

nos nostraqve omnia, vitam, famam, fortunas qvantulascunqve, secundum DEUM, SERENISSIMÆ MAJESTATI Tuæ humillimè commendemus & consecremus. Dignetur M. T. Ut hactenus piè & paternè cæpit, ita inposterum, pauperes Islandos inter subditos suos numeratos favore & amore complecti, benigno Serenitatis suæ vultu intueri & Regiâ fortitudine vindicare. Nos vicissim elevabimus supinas ad cœlum manus, votisq; calidis longævam fælicitatem Regiæ Majestati precabimur. In qvo devoto voto finio. Faxit ὁ Παντοκράτωρ, ut SERENISSIMA MAJESTAS TUA sera in cœlum redeat, læta, florens rebus humanis intersit; Regnis ac ditionibus suis invicti animi fortitudine præsit. In primis verò sinceram Religionem & veram pietatem promovere pergat, Donec cælesti Angelorum beatorumqve heroüm choro asscripta, de suis & Ecclesiæ Christi superatis hostibus triumphum agat nunqvam finiendum. HAFNIÆ sub initium novi Anni clↃ Ↄc cl.

SERENISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ

humillimus subditus & servus

RUNOLPHUS JONAS Islandus.

Mey



Μεγίςῳ τῷ βασιλεῖ βασιλέων δόξα.

Expugnavit tandem Celsissimos cœlos, debita devotionis nostræ humilitas! Iô triumphe! DEO ac Regi trophæum statuamus populares! Vicimus Dominum exercituum, non rerum fortiter ac præclarè gestarum virtute, sed precibus, invalidi fortissimum, impotentes potentissimum. Penetrârunt inaccessum Jehovæ thronum suspiria nostra. Eccè communicatam nobiscum primævam illam Jacobi luctatoris victoriam! Ecce salsarum lacbrymarum continuorumq; gemituum bos retulimus fructus! Qvia enim divinum Numen validis fidei Jacobææ brachiis fortiter prebendimus, prebensum constanter tenuimus, aliter fieri non potuit, qvin tandem aliqvando desideratam illam, qvam diutulè anxiâ votorum nuncupatione expetivimus, benedictionem conseqveremur. Rem enim tam salutarem, tàm sollicitis multorum desideriis ambitam, qvis expedire, qvis largiri potuisset, nisi admiranda cœli sapientia? nisi stupenda Numinis ter Opt. Max. bonitas? Qvòd si tàm religioso cultu Deos suos com-

mentitios dignati sint veteres illi Ethnici, ut qvoties res aliqva ex animi sententia contingeret, sacras eorũ aras Et thure ————

————Et vituli sangvine debito

Imbuendas censuerint: qvantô magis nos votorum jam potitos decet, in primis, qvi de vero & solo rerum bonarum arbitro rectiùs informati sumus, meritam DEO immortali persolvere gratiam, ejusq; in exaudiendis gemitibus nostris promptitudinem, pro virili, laude proseqvi, non eâ

—Qvæ nivali pascitur Algido
Devota, qvercus inter & Ilices,
Aut crescit Albanis in hortis,
victimâ;

Sed Christianâ, qvæ à labiis puris, gratâq; mente proficiscitur. Etenim cum nemo hominum, animi tâm impos sit, saltem cui.

E meliore luto finxit præcordia Titan,

aut suæ felicitatis adeò invidus, ut se virtutibus natũ esse nõ cupiat; tùm verò vehementer nobis alloborandum est, ut pro beneficiis acceptis grati inveniamur. Hæc est enim una non solum virtus magna; sed fons & origo bonorum sine omni dubitatione ut numero multorum, ita pondere gravissimorum. Qvâ certè DEUS bonorum omnium largitor munificentissimus neqvaqvam est spoliandus. Qvanqvam enim pietas

in

in parentes, in patriam fidelitas, in Magistratum observantia, plurimæq; id genus virtutes suâ laude non carent: tamen hæc una, qvâ DEUM principem, authoremq; rerum omnium agnoscimus, eidemq; præpotenti Domino tanqvam parenti, cui omnia, qvæ poßidemus, animi, corporis aut fortunarum bona accepta referimus, gratias summâ demißione agimus: hæc, inqvam, illa virtus est, qvæ, ut maximè necessaria, ita inter cæteras

——Velut inter ignes
Luna minores

Emicat. Qvis, qvæso, mortalium existit, cui vel unciola rationis suppetit, qvi non facilè secum animadvertat, qvàm curta domi suæ sit supellex, adeoq; seriò cogitet, qvicqvid bonorum aut felicitatis obtigerit, id in fontem bonorum DEUM, à qvo cuncta profluxerunt, ut in mare flumina debere suo qvodam jure redire? Hæc qvòd prolixius commemorem, desine, Lector candide, mirari. Nullum enim bonum non dicam optari, sed excogitari potest eminentius & nostro exulceratißimæ Reipublicæ statui accommodatius, qvàm insigne illud, & omnem excedens scribendi facultatem: Cœlestis victoriæ gloria, qvàm lachrymis, qvamq; precibus debemus, qvibus supremum Numen victum nobis velut herbam porrexit. Etenim nemo nostrum est, cui non in recenti memoriâ heret

lamentabile illud tempus, qvo Augustum caput, imbecillibus dulcissimæ patriæ membris sævæ mortis falce velut abscissum est. Heu vulnus! Heu dolorem! Qvis nostrum est, cui adhuc ante oculos non obversetur tristissima rerum facies universo septentrioni inducta, cum Rex noster, imò Regum suæ ætatis omnium Optimus Maximus CHRISTIANUS IV. *Vitam cum morte commutaret? Amisit eheu non Resp. solum nostra, qvo diu secundum DEUM ipsum unicè freta & fulta est, Monarcham summum; Verùm etiam totus terrarum orbis singulare qvoddam decus, & Christi Ecclesia maximum stabilimentum. Ereptus est nobis non modò justissimus Dominus, sed & indulgentissimus pater, qvi naturâ, virtute, gloriâ adeò excelluit, ut vel eô unô seculum hoc nostrum potuerit in omni genere laudis cum antiqvitate certare. Qvòd si memoria recolamus, in qvanto mærore versata sit patria, audita ejus morte: qvamq; luctuosum universa induerit habitùm, qvi tamen internum animorum dolorem tantum abfuit exprimeret, ut vix etiam adumbraret: Si præterea tot hominum tàm inexpectato funeri illachrymantium gemitus recordemur, qvibus non interitum Regis, qvi nullus illi erat, sed suam defleverunt orbitatem, amplissimam profectò nanciscemur occasionem divinam in nos beneficentiam & rectius æstimandi, & qvâ par*

est

est veneratione prædicandi. Qvippe qvi ex illo ſqvalore ac ſordibus, qvibus tunc flentes ac lugentes devenuſtabamur, liberati, & in priſtinæ felicitatis faſtigium divina ope evecti, lætas in cœlum manus tollimus; condignisq́ laudum præconiis proſeqvimur benignitatem numinis, cujus providentiâ, orbitatem patriæ noſtræ ſublatam cernimus; imo coronam Regalem qvaſi cineribus hactenus ſepultam reſplendeſcere grati agnoſcimus, ejusq́ capiti imponi, qvi legitimus Regni ac Regiæ dignitatis hæres ſuo merito exiſtit. Summam hanc felicitatem intuentes, divinam providentiam non noſtris ſed Regij Pſaltis verbis exultabundi celebrabimus. Audiit Jehova vocem fletus mei, Audiit Jehova deprecationem meam: Jehova orationem meam acceptam habet, erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei. Tibi detur certa laus ô DEUS, & tibi rependendum eſt votum, ô qvi exaudis orationem, ad te usq; omnis caro ventura eſt. *Tibi igitur, benigniſſime hominum Soſpitator, pauperis Islandiæ propugnator, vacillantis Reip: reſtaurator DEUS Opt. Max. vota noſtra reddimus prompti. Tuæ Majeſtati uno ore animi devoti indice omnes, qvos Islandia alit, læti canimus:* BENEDICTUS DEUS QVI NON AVERTIT ORATIONEM NOSTRAM A SE, NEQVE BENIGNITATEM SUAM A NOBIS. BENEDICEMUS JEHOVÆ OMNI TEMPORE, JUGITER LAUS EJUS IN ORE NOSTRO.

BENEDICTUS JEHOVA ISRAELIS A SECULO USQVE IN SECULUM AMEN, ITERUM AMEN.

Eqvidem merito tantum celebramus bonum: cum non patria solum nostra; Sed & multæ animarum myriades tam pio, felici & pacifico gavisuræ sint Rege. Utinam præstantiam summam divini hujus muneris, non leviter, sed æqva judicij lance singuli vestrum, populares, mecum expendere haud grave duceretis. Cogitate, qvæso, Islandi, qvid de Imperiis, Regnis, Civitatibus, Rebusq; publicis futurum esset, si principum regimine destituerentur, à qvorum vita, ut dicere solebant veteres, velut à filo pendet salus civitatis? Omnia certe confusa, turbida, tandemq; desolata forent. ἰχθυεὺν γὰρ ὄχλῳ ἐστί. *Neq; enim magis Respub. sine principibus florere, vigereq; potest, qvàm marcidi corporis exuviæ rectrice sui, motuumq; omnium & actionum authore anima cassæ. Concipite, qvæso, animis, naviculam hybernis tempestatibus jactatam: qvæ si perito gubernatore careret, qvanto in discrimine versaretur! heu qvantos tabularum lacerarum acervos litoribus esset immissura! Non utiq; aliter, demptis è societate humana piis principibus, actutum Rerumpub: membra miserabilem sui stragem essent editura. Qvid multis? Omnia susq; deq; ferrentur, populusq;* ἄναρχος, *qvi non tantum inter* κακὰ θηρία, *censente demosthene; sed etiam mon-*

stro-

strosa & πολυκέφαλα, judicio Platonis, numerandus, ad res obeundas, torrentis instar, præceps rueret. Neq; tamen in commune qvicqvam consuleret; Sed in contraria, ut canit ille, studia scinderetur. Unde certamina subinde existerent, cum unus qvisq; primas in Rep. affectaret, ex qvibus odia, ex odiis seditiones, ex seditionibus cædes erumpere tandem necessum foret. Qvare scitissimum illud, mea qvidem sententia, ut pleraq; alia Lycurgi, qvod, nescio cui Lacedæmoniorũ leges Democraticas immoderatius urgenti respondisse fertur: σὺ πρῶτος ἐν τῇ οἰκείᾳ σου ποίησον δημοκρατίαν. *En appositum rei præsentis exemplum. Qvalem, per superos, rerum domesticarum, futuram putatis conditionem, si pro sua qvisq; libidine ageret? Qvantum damni, imo qvam subitum exitium illa domus contractura esset, qvæ nulla cujusqvam superioris, qvi aliqua rei familiaris tangeretur cura, inspectione imperiove gubernaretur? Qvod si præclarum & necessarium ducimus, res domesticas à bono & prudente patrefamilias regi; qvanto præclarius magisq; necessarium erit, labescentem Rempublicam ab Optimo Patriæ Patre, Rege, consiliis gubernari. Qvamvis enim privata interdum commoda non sint negligenda: tamen publica cæteris omnibus anteferenda utilitas, qvæ à nemine commodius promoveri potest, qvàm à Principe gentis, qvi Rempub. piè &*

pru-

prudenter administrat: in qva benè moderanda salutis omnium cardo versatur. Hac Principatus necessitate inducta antiqvitas, eum nunc astrorum influxui, nunc fato, aliqvando ipsi etiam Jovi tribuit, honorem Regi deferendum cum divino cultu semper conjungens. Vnde trita apud Græcos sententia: πρὸ πάντων σέβου το θεῖον βασιλέα δὲ τίμα. Eqvidem illi eò progressi sunt, qvò rationis acumine & lumine penetrare potuerunt, multis qvidem nostri seculi in eruenda veritate solertiores: qvanqvam ea sæpiuscule cum inventa videretur, præsertim in rebus sacris, & ad salutẽ pertinentibus, errorũ & superstitionum nebulis involvebatur. Nos autem neq; Jovi Ethnicorum impurissimo, neq; Stoicorum inevitabili fato, neq; insuperabili corporũ cælestium efficaciæ imperia adscribimus; sed ei, à qvo omnis potestas est, qvæ, asserente Apostolo, non est nisi à DEO. Id qvod Julius Firmicus altius considerasse videtur, dum Majestatem Imperatoriam præ communi hominum sorte suspiciens, solum Imperatorem decretis siderum eximit, cujus nempe fatum, vim stellarum longe exuperans, summi & solius DEI judicio gubernetur. Maximæ igitur habendæ sunt gratiæ DEO immortali, qvòd ordinem tam Augustum apprimeq; humano generi necessarium non solum ipse instituerit, sed institutum etiam omnibus retro seculis sartum tectumq; conservaverit, angelo-

gelorumq; ſuorum excubijs, adverſus infenſiſſimũ muneruм divinorum hoſtem, Diabolũ, munierit. Magnũ certè hoc munus eſt, quô paterna DEI erga homines cura, velut magiſterio quodam admirando, panditur. quodq; tam latè patet, ut nulla omnino gens, nulla Reſp: ubicunq; tandem terrarũ degat, ejus ſe expertem, niſi ſuâ culpâ, queri poſſit. Sed non minore illi afficiuntur beneficio, imo præ cæteris ſingulari quadam melioris fati aurâ afflari videntur, qui inconcuſſâ Reip: tranquillitate, tantaq; velut domi nata felicitate gaudent, ut nunquã externi Principis imperio, quod plerunq; aliquid violentiæ admixtum habere ſolet, ſubjiciantur. Sed ejus auſpiciis ductuq; regantur, defendantur, & vivant, qui eodem cum ſubditis cælo editus, iiſdem legibus ritibusq; aſſuetus, & quaſi arcano quodam Patriæ cognationis vinculo, cum civibus naturâ conjunctus eſt. Quæ res quantum ad publicam Reipub: tranquillitatem conferat, qui neſcit, næ is ſtupidus & turbarum à violentis imperiorum mutationibus proficiſci ſolitarum otioſus ſpectator eſt. Hoc bonum, hanc felicitatem conceſſit nobis cæleſtis clementia, dum Auguſto parente, glorioſiſſimo Rege, CHRISTIANO IV, *in cælitum numerum relato, Filium* FRIDERICUM III. *in Paternum Regiæ Majeſtatis ſolium, miro divinæ ſuæ providentiæ munere, evectum, omnes Borealium*

Regnorum ſubditi gaudemus. Sic res imperij labeſcentis novo ſtabilimento fulſit, & Septentrionem ob nubilatum fulgido ſerenavit radio. O profundiſſimas divinæ munificentiæ abyſſos! O inexhauſtos divitiarum fontes! e qvibus omnia bonorum genera ad univerſos vaſtiſſimi orbis habitatores derivantur latiſſimeq; diffunduntur. Qvam ſapienter

Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet novâ!

Hoc tam ſapiens Numinis conſilium, hoc, inqvam, divinæ in nos munificentiæ meritum, qvanqvam ob ſui magnitudinem dignum eſt, qvod perpetuis ſermonibus, prædicatione, literis æternitati conſecretur; tamen hoc exiguum ei viſum eſt, niſi munere munus cumulans, in hunc Principem noſtrum, qvem naſcendi ſors ſceptris deſtinârat, omnes virtutes imperatore dignas & ad Regium munus cum laude & dexteritate obeundum neceſſarias, cumulatiſſimè conferret. Id verò eſt, qvo de nobis ante omnia gratulari, magnoq; illi noſtro & ſummo Rectori, bonorumq; largitori unico, DEO trino & uni, qvanqvam gratiam referre non poſſumus, qvantam tamen maximam Chriſtiana pietas capere poteſt, habere debemus. Qvemadmodum enim imperij faſtigium communem vitæ humanæ conditionem longè exuperat, ita nemo

illud

illud conſcendere valet, niſi qvi ingenij acumine, virtutisq́ præſtantia cæteros antecellit. Qvi juſtitiam & æqvitatem avidè amplectitur, neq́ tam privatum commodum, qvàm communem Reipub: ſalutem promovere ſatagit. Qvi neq́ à belli gloriâ neq́ pacis tranqvillitate abhorret: utrobiq́ gubernandi rationes ita moderatur, ut nihil ſit, qvod non laudabiliter ab eo ſplendideq́ geratur. Talem nobis divino munere contigiſſe Regem, eſt qvod ſerio triumphemus. Et non talem modo, ſed etiam tantum, qvi licet honeſtiſsimis laudum titulis encomiisq́ à nobis exornetur; omni tamen honore, omni laude & encomio ſuperior eſt Qvô nemo major, ſive corporis, ſive animi reſpiciantur dotes. Qvo nemo potius omnium votis optari poterat, ſi vel maximè nos penes fuiſſet optio. Qvem enim obnixius, communibus calculis uniformiq́ ſententia, ad horum Regnorum multis calamitatibus obſeptorum gubernacula adſciſceremus, qvàm eum qvi diminutum ac ferè exhauſtum imperium reſtauraret, qvi præteritæ felicitatis ſtatum reduceret, qvi præſentibus mederetur defectibus, futurisq́ ſucceſſoribus oportune conſuleret, ætate florens, corpore præſtans, bonis eminentiſsimè inſtructus moribus, atq́ ab omni vitiorum labe alieniſſimus? In qvo vis eſt magni animi, gravesq́ ac cani mores cum florentis ætatis vigore certare videntur. Cujus pio Regimi-

ni Davidis Regis usi verbis precamur, UT JUSTITIA ET PAX SE INVICEM DEOSCULENTUR. Qvid nunc dicam (dictioni enim copiosissimæ, nedum jejunæ, qvæ mihi est, nullus hic locus) de ardentissimo virtutum Regiarum cultu? qvarum studio Rex noster usq; adeo flagrat, ut jam non diutius à virtute ornari, sed ipse virtutem suâ Majestate ornare & illustrare videatur. Censet enim SAPIENTISSIMUS PRINCEPS, ut acutè & ex re omnia censet, divitias & opes non modo fluxas & caducas esse, sed etiam possidentibus invidiam & interdum perniciem parere: virtutem verò altissimis defixam radicibus, nullâ unqvam vi labefactari, nunqvam loco dimoveri posse. Hinc fit, ut omnes in eum unum, tanqvam Solem, qvi unus radiis undeqvaq; diffusis, universam mundanæ molis fabricam illustrat, oculos convertant. Neq; sanè immerito: qvod enim exemplum etiam inter hæc Regni sui initia non dedit justi ac moderati imperij? Qvod specimen non edidit humanitatis, mansvetudinis atq; beneficentiæ erga subditos singularis? Eqvidem qvocunq; oculos circumfero, omnia evidentissimis sapientiæ, pietatis, justitiæ, prudentiæ documentis plena occurrunt: ut satis certus sim, nullam omnino virtutem existere (sive Regiæ illæ, qvas Oratorum Princeps Tullius commemorat; sive hæ virtutes vitæ

com-

communis spectentur) qvam non in eo, tanqvam in editâ qvadam speculâ positam intueri, & adornandas officij sui partes, omnes imitari qveant. Nisi verear, ne hujus exempli magnitudo spem imitandi cœteris sit ademptura. Qvid? solisne infimæ sortis hominibus ille exemplum vivendi præbet? Minimè vero. Nemo enim etiam inter proceres reperietur, qvi ad res benè gerendas officiumq; cum laude obeundum, ex hoc Rege exemplum non poßit sibi sumere. Ita ille anteactæ vitæ partem absolvit, ut sapientiâ Reges, privatos moderatione vivendi antecelluerit: talemq; se in pietatis exercitio præstiterit, ut id nullâ orationis copiâ, uti par est, explicari poßit: ne illius qvidem Xenophontis Græci, cujus ore Musas tum loqvutas ferunt, cum Cyrum illum suum atq; Agesilaum laudibus cumularet. Non Cyrus ipse, non Agesilaus in partem tantæ laudis venire merentur, qvi non tàm rebus ipsis, qvàm scribentium ingeniis clari fuerunt. FRIDERICI *Regis nostri laudes neq; majores fingi, neq; tantæ, qvantæ sunt, stili officio adumbrari possunt. Qvanto igitur gaudio, qvàm ingenti & impotenti affecti sint animorũ lætitiâ nostrates, cum hæc fama apud eos increbesceret, qvod ei Regale sceptrũ esset delatũ, qvi tam Augustis & vere Regiis polleret opibus, nulla vis ingenij, nullius eloqventiæ copia, nullus ornatißimæ orationis splendor exprimere valet. Qvam-*

vis enim non nunqvam contingat, ut gentes æqvis animis imperia haud ferant, cum omnibus ferè populis, nescio qvâ libertatis dulcedine illectis, innata sit libido, patrios potius principatus affectandi, qvam superiori dominio cervices submittendi; tamen hic diversum evenit. Nam qvod aliis dolori esse solet, id nobis gaudio fuit. Cur enim non gauderemus, vitam sub ejus imperio agere, qvi non solum nobis præest, sed etiam prodest, qvi non solum nos regit, sed & tegit? Cujus occupationibus otium, laboribus qvies nostra continetur. Utilitatis profectò suæ non tàm ignari, qvam turpiter obliti merito censerentur, qvi hæc sibi bona inviderent. Patrio obluctantium imperio haut desunt exempla. A qvorum cogitatione qvia abhorret animus, vox faucibus hæret, conticescit lingva, tremula sistitur Scribentis manus. Cæterum gentes aliena detrectantes juga, neq; tacent annales. E multis Tyrios proferam: qvi Alexandri illius Magni dominio resistentes, caduceatores ejus, qvi ad pacem & deditionem eos compellere conati sunt, occisos, de editiore loco præcipitarunt. Id qvidem sine jure: tamen non sine juris specie. Iniqvum enim duxerunt, partam sibi absq; injuriâ libertatem ab illo ereptum iri, qvem nullo unqvam læserant maleficio, neq; ad bellum inferendum, vel minimâ irritârant injuriâ. Nihil obstare rati, qvin vim vi repellere

lere liceret. Indignumq; esse Alexandrum, qvi apud eam gentem, qvam injustis armis lacessiverat, belli jure frueretur. Sed longè ab Islandis tuis hæc qverimonia exulabat,

CLEMENTISSIME REX,

qvos non vi, aut armis Alexandrinis invasisti, sed Paterno qvodam affectu, in tutelam & præsidium recepisti. Qvos non minis terrebas, non exactionibus aggravabas; sed blanda & amabili compellatione in tui obseqvium & fidem alliciebas. Qvod tamen postulare potius tanqvam debitum, qvàm petere velut officium potuisses; nisi rigorem illum, qvo nobiscum agere Majestatem Tuam penes erat, prævalens illa animi tui lenitas mitigasset. Etenim majorem in erigenda gente pauperculâ, qvàm deprimendâ ac silentio prætereundâ gloriam futuram rectè judicasti. Alibi esse, ubi vires & potentiam; hic, ubi lenitatem & clementiam exerceres. Cujus æqvitatis tuæ non satis luculentum specimen edere videbaris, nisi aperto qvodam & locupletissimo testimonio, ipso Phæbo annuente, eandem declarares. Neq; enim intra pectoris tui claustra tanta virtus se continuit, sed extrorsum prosilire, & ad munia suo genio naturâq; digna usurpari gestiit. Qvamobrem, qvi vicibus Majestatis Tuæ absentis apud nos fungerentur, viros non modo elegisti bonos, animiq; tui tàm benigni

qvasi

qvasi simulacra qvædam circumferentes; sed eosdem etiam lætissimis nuntiis, mandatisq; gratissimis ad nos deferendis instruxisti, ut præsentiæ tuæ defectum, qvi certè plurimum, maximæ huic solemnitati alioqvin futuræ, detraxit, vicaria benivolentissimè Commissariorum opera suppleret. Parum tibi videbatur,

OPTIME PRINCEPS,

Parentis tui Augustissimi beneficia, qvæ patriæ nostræ indefessis largitionibus exhibuit, omni numero plura, omni encomio grandiora, apud nos integra illibataq; conservare; nisi eadem novâ munificentiâ multiplicares, novisq; amplificares auctibus. Itaq; non duntaxat de privilegis utriusq; status, qvibus, ipso Regnante, gavisi fuimus, porrò obtinendis, certos ac securos esse voluisti; sed ut augerentur etiam illa, & nova insuper expeterentur: tum si qva vitio temporis diminuta fuissent, restaurarentur, imperasti. O affectum curamq; plusqvam paternam! O clementiam omnibus seculis inauditam! O benevolentiæ exemplum, sine exemplo! Aliorum certè Principum humanitas laudibus, ut par est, ad astra tollitur: qvibus tamen satis est ad sui præconium, si aures ad subditorum vota non occludantur, si oculi ab egenorum indigentia non avertantur; sed qvid hæc ad tuam illam? Tu

MAXI-

exoratus fuisti non oratus, exaudiisti anteqvam audiisti, non petentibus largam porrexisti manum. Qvid? Ea spontè largitus es, qvæ vix ambire, nedum à Tua Majestate expetere ausi fuimus. Numinis hæc vis est, cogitationum abdita rimari & perspicere. Divinæ sapientiæ virtus est, omnes omnium, vel remotissimorum necessitates in numerato habere. Dicam qvod res est: qvia virtutis hujus exemplum mortalibus ignotum, etiam nomen latet. Qvæ licet taceri non debet, eam tamen silentio venerari malo, qvàm ingenij culpa deterere. Raram hanc Regiæ Clementiæ vocem tanqvam inusitatam admirata est antiqvitas. Qvam obstupuit olim Achaia, cum hoc Titi Qvintij svave decretum omnium in Theatro auribus insonaret: GRÆCIÆ UNIVERSÆ URBES SUO JURE UTUNTOR. Non capiebat gaudij magnitudinem capacissima bonorum regio. Dubitatumq́ est, rectène percepta esset, qvæ audiri videbatur, sententia. Iterari idcircò tàm salutarem vocē sollicitè petierunt, ut gaudium è tam læto nuncio perceptum, rei certitudine firmaretur. Nobis non juris solum patrij conservatio promissa; sed depravati restitutio, fluctuantis Reip. collectio, rerumq́ omnium in meliorem statum mutatio, re ipsâ fuit exhibita. Itaq́ qvod aliis immeritò grave accidere solet, id nobis volupe

 erat.

erat, qvod aliis oneri, nobis levamini fuit. Ita sub servilis conditionis specie, libertatis commoda nacti sumus. Nec qvicqvā patriæ nostræ decesit, præter luctū & miseriam. Audebone dicere, Te à Regia severitate ad amicitiæ officia descendisse? ita tamen, ut gravitatis non sis oblitus. Illam enim prolixus in humiliores affectus: hanc in expediendis negociis solertia arguit. Neutrâ carere beneficiū potest: cum indè benefaciendi instinctus, hinc facti successus dependeat. Qvinimò qvia cum tenuissimæ sortis hominibus res erat, qvorum indigentiæ consuleretur, ideò severitas facilitati, Majestatisq; sublimitas humanitati fasces submisit. Aliis placeat potestatis terrore sui venerationem gentibus extorqvere: qvi ut invitus est cultus, sic inversa paululum fortunæ rota evanescere solet. Tuum hoc esto studium, amorem conciliare lenitate, diuturnum reddere comitate. Idq; ideò tibi fortunatum erit, qvod illud non ab arte, sed naturâ hausisti. Nam qvod illa simulando efficit, minus solidum & durabile est; Hæc ut est fuci nescia, ita minus errat, majoreq; in agendo felicitate gaudet. Alexandrum Romanorum Imperatorem ex his animi dotibus etiam commendarunt veteres: Cujus ea propter imperium Anbæmaton *appellatum. Mirùm eo seculo novam visam fuisse hanc virtutum Principem, qvo virtutum omnium uberrimam segetem metere erat:*

at

at vidit eam ætas nostra, nullo non vitiorum genere contaminata, longè qvam superior, in Te,

REX PIENTISSIME,

evidentiorem. Tu enim, si qvis alius, Theodosij illud consilium executus es:

Sis pius in primis, nam cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos æqvat clementia nobis.

Hâc, ut de cæteris taceam, tuis te amabilem, exteris commendabilem, omnibus venerabilem fecisti. qvod de Romano qvodam Imperatore Cicero asseruit. Hæc ut cælum, unde orta est, inhabitare amat: ita Majestatem T. fato mortalitatis exemptam, superis æqvavit. Scio, qvæ de pietate tuâ in nos exercitâ in medium affero, fidem lectorum esse excessura: Ea tamen qvanqvam fide majora, tamen rei veritate longè sunt minora. Rebus Ecclesiæ Islandicæ antè omnia ut prospiceretur, supremâ discedentibus Legatis voce, qvod ipsi testantur, edixisti. Neq; exiguum reditibus tuis, qvo ministrorum verbi stipendia augerentur, ademptum voluisti. Omnia se rectè habere ratus, qvando Ecclesiis benè esset. Sic Regni tui initium non modo Benignum, sed & Pium fuit. A qvâ enim re regnandi exordium potius duceres, qvam â PIETATE, qvæ ad omnia utilis est? Non hoc ignoravit Augustissimus Parens tuus, qvi hac sententiâ, tanqvam individuo comite, domi militiæq; usus est:

Neq; ſpe ſuâ, qvam de pietate conceperat, excidit. Vides enim hæc Regna pietate ejus usq; adeo eſſe firmata, ut ad te feliciſſimo omine ſint translata. Fundamentum igitur ut benè ſapienterq; jecíſti, ita qvæ in poſterum ſuper ſtruxeris, auſpicatò ſuccedent. Qvemadmodum enim diviniſſima illa virtus ſui cultores Diis proximos facit; ita iis digniſſima eſt, qvi ipſi DEO proximi ſunt: qvosq; ſummus ille cœli terræq; Monarcha ſuos in terris vicarios conſtituit, qvi non tantum imperij ſui in omnes res univerſalis imaginem qvandam gererent; ſed etiam partes ſuas in illo ipſo Regimine, inter mortales, qvaſi Dij carne veſtiti, agerent. Accedit hoc etiam, qvod Pietas ſaltem vera & ſine fuco, nunqvàm absq; reliqvis virtutibus ſola eſſe poteſt, qvin circa eam omnes aliæ, velut ſtipatu qvodam, choros ducant: haud ſecus atq; de Dianâ cecinit ille:

Qvam circum glomerantur Oreades ——

Hæc igitur una, virtutum heroicarum Dux & Regina, inſtar omnium fuit, qvæ tanta gaudia, tanta tripudia animis noſtratium ingeneravit, ut qvi intra privatos parietes antè concluſi mœrebant, nunc incredibili qvâdam lætitiâ perfuſi, ingenti concurſu in publicum proſilirent. Utinam ſublimis illa oculorum acies, in ſecretiores cogitationum

recessus introspexisset! Qvantos ibi effervescentis gaudij æstus, qvantum amoris, qvantum ad mandatorum tuorum executionem alacritatis, qvantum pro salute tuâ suspiriorum, non sine admiratione, vidisset! Sed nihil Lynceo illo visu, qvi cordium penetralia rimatur, opus. Ipsa facies animi secreta indicabat. Etenim jubila illa, intra mentes nostratium non stetere: Sed è pectore meri gaudiorum rivi in oculos manarunt. Neq; enim suis lacrymis caret gaudium vehementissimum. Qvemadmodum de Ulysse patre & Telemacho filio, se invicem agnoscentibus, Homerus cecinit:

Ἀμφοτέροισι δὲ τοῖσιν ὑφ' ἵμερος ὦρτο γόοιο.


Eqvidem qvò affectuosius est gaudium, & ab omni simulationis & fuci suspicione alienius; eò lacrymis, tenerrimi amoris indicibus, proximius. Qvæ certè in dolore & odio aliqvando fingi poterunt: in lætitia & amore nemo fletum simulavit. Hoc vero Patriæ meæ gaudium, hic in Dominum & Regem suum amor tantus fuit, ut à lacrymis, veris profusæ lætitiæ argumentis, sibi neqvaqvam temperare potuerit gens tuæ Bonitatis dulcedine ebria & velut extra se rapta. Qvod si hæ corporis partes, qvibus Natura ipsa silentium imperavit, à jubilo non abstinuêre; qvid de illis existimandum, qvæ loqvendi facultate sunt præditæ? O si nunc Regiæ Tuæ MAJESTATI copia

daretur, sermones nostratium cominus audiendi, qvos de Tua Majestate omnes omnis ætatis, ordinis, conditionis homines domi forisq; cædunt! Nulla vox in compitis aut conventibus freqventior, qvàm REX. Rari de valetudine amicorum mutui sermones. Crebræ pro REGIS incolumitate, successu, felicitate, vita preces funduntur. Desierunt, ut vivis, ut vales, *tritæ se invicem salutantium formulæ. In qvarum locum successerunt: VIVAT REX, FLOREAT REX. Omnia pro Salute unius Regis suscipiuntur vota. Neq; injuria: Salvo enim Principe & in primis BONO, salùs Reip. in tuto est. Merito igitur, cum Nobis benè esse cupiamus, vitæ salutisq; Tuæ,*

SACRATISSIME REX,


Impendiò satagimus, Tibiq; humillimè unanimi voto, ex intimis cordium nostrorum penetralibus ducto, acclamamus:

O REX IN SECULA VIVE.



HaЀtenus INTERPRES retulit sua gaudia LÆTUS:
MERCURIUS patriâ nunc dabit ACTA fide.

Annus



ANnus agebatur à myſterio Redemptionis humanæ, per incarnatum *Filium DEI*, orbi patefacto clↄ Iↄc XLIX, cum Rex Sereniſſimus & Potentiſſimus

DOMINUS FRIDERICUS III,

Paterno recens Imperio, communibus Regnorum Daniæ & Norvegiæ ſuffragiis, potitus, Legationem in remotiores Regni Norvegici provincias, *Islandiam Feroamq́* inſtitueret. Huic Legationi Viros, cùm inclitæ Nobilitatis, tùm virtutum veræ Nobilitati parium ornamentis eximios, DN. HENRICUM BIELCKE de Elingegaard/ Eqvitem auratum, Islandiæqve Præſidem Regium & GABRIELEM ACHELEYE de Julerod/ Sereniſſimæ MAJESTATIS Secretarium præfecit, qvi ſuas abſentis partes, in Homagiali actu inter populos Hyperboreos celebrando obirent. Qvod negotium qvanqvam in Islandia expeditu difficile videbatur, præſertim ob terræ vaſtitatem, & habitationum à ſe invicem diſtantiam: qvæ res utraqve obſtaculo fuit, qvo minus populi multitudo, brevi temporis ſpatio, ad unum eumq́; oportunum locum convocari poſſet: tamen hanc difficultatem Sapientiſſimi REGIS

pru-

prudentia superàvit. Est enim locus in Australi Islandiæ tractu, anniversario incolarum conventui, qvod *Forum magnum* seu *generale* appellant, à Majoribus nostris, multis retro seculis destinatus. Qvò cum annuatim confluant è singulis insulæ Præfecturis haud pauci, partim qvi juris administrandi curam gerunt; partim qvibus causarum forensium actiones incumbunt, non alibi solemnis ille actus celebrari potuit sive rectius sive commodius, qvàm in loco negotiis publicis ipsiq; justitiæ sacro. Ad qvem alioqvin freqventandum, incolæ, lege patriâ, qvotannis tenentur.

Designati igitur, deq; utroq; statu Ecclesiastico pariter ac Politico Primates delecti, qvi in Foro hoc Magno & anniversario, adstatum tempus, sese præsentes sisterent, sacramentum tàm suo, qvàm universæ gentis nomine dicturi. Convenitur ad XXIX Junij diem, loco, ut dixi, consveto, at numero supra consvetudinem magno. Comitia erant pro rei novitate, & indicentis Majestate, novâ populi freqventiâ, novâq; rerum omnium magnificentiâ celebrata. Cui rei Edictum de præstando Homagio, à REGIA MAJESTATE promulgatum causam præbuit. Qvod, qvâ par erat, animorum promptitudine venerabundi nostrates excipiebant. Qvippe qvi plurimum præsidij in luctuosissimo Regis Opt: Max:

Max: CHRISTIANI IV. funere amiserant; nunc autem in spem adducti sunt certissimam, fore, ut flebile illud ac fatale damnum, per legitimum Regni successorem, resarciretur. Sceptrum enim Regale, non excussis modo funestis cineribus, novo velut nitore resplendescere; verum etiam non aliis, qvàm inclitis *Augustissimi Filij* manibus gestari, plurimùm gaudebant. Suarum itaq; partium in primis esse ne in se qvicqvam, qvod â gente subdita reqviri posset, desiderari paterentur. Neve id obseqvij, qvod deberent, Regiæ Majestati denegarent: Sed Homagium maximâ cum subjectione præstarent, ominibusq;, velut æqvum erat, qvàm faustissimis Imperij ejus primordia proseqverentur. Publicus igitur locus, qvo comitia solenniter erant agitanda, tentoriis longè lateqve positis adeo erat obsitus, ut nulla procedere volentibus, nisi per circuitus prolixasq; ambages, pateret via. Utuntur ejusmodi tentoriis, è panno vel lino funibus extento structis Islandi, qvoties per solitudines tesqvaq; inhospita iter est: ubi domuum aut diversoriorum nulla datur copia.

Duo Islandiam dividunt *Episcopatus*. Qvorum alter solo Septentrionis cardine descriptus HOLENSIS dicitur: alter tres reliqvos, Orientem, Meridiem atq; Occidentem complexus, SCHAL-

HOLLTENSIS. Uterq; à ſedibus Epiſcopalibus, *Hola* & *Schalbollto*, hac auſtrali, illâ boreali, denominatus eſt. Aderant Regio pârituri Edicto, inprimis, *Viri ordinis Eccleſiaſtici*

E. DIOECESI HOLANA

DN. THORLACUS SCHULONIUS, Diœceſis Holenſis in Boreali Islandiâ Epiſcopus.

DN. JONAS GYSSURIUS, Eccleſiæ Mulenſis in Provinciâ Reykiadal *Miniſter, & vicinarum Eccleſiarum Præpoſitus.*

DN. SIGFUSUS EGILLIUS, Eccleſiarum Micklabæenſis Hofenſisq; in Oslandshliid *Paſtor, perſonam ſuſtinens*

DN. THORBERGI ASMUNDII, Præpoſiti Eiafiordenſis, qvi vitio Senij adverſâ valetudine detentus, comparere non poterat.

DN. HALLGRIMUS JONAS, Paſtor Glombæenſis, Eccleſiarumq; Schagafiordenſium Præpoſitus.

DN. OLAUS HALLERIUS, Paſtor Grymſtungenſis, Eccleſiarumq; in Præfecturâ Hunavatnenſi Præpoſitus.

DN. GERHARDUS MARCI, Helgaſtadij in Reykia Dal *verbi miniſter.*

DN. GISLAUS BRINULPHIUS, Bergſtadianus paſtor.

DN. JONAS EGILLIUS, VVallanus.

DN. GUNNARUS BIORNONIUS, Hoſculdſtadenſis miniſter.

DN. THORVARDUS OLAVIUS, Breidabolſtadenſis.

DN. ERLENDUS OLAVIUS, Melenſis.

DN. ENARUS ARNFINNIUS, Eccleſiæ Stadenſis in Hruta-fyrdi *miniſter.*

E. DIOECESI SCHALHOLTINA

M. BRYNULPHUS SVENONIUS, Epiſcopatus Schalboltenſis Antiſtes vigilantiſſimus.

DN.

DN. VVIGFVSVS ARNERIVS, Ecclesiæ Hofensis in provinciâ Vopnafyrdi *minister, partes agens*
DN. OLAI ENARII, Mulasyslensis Præpositi.
DN. SNÆBIORNO STEPHANIVS, Oddanæ Ecclesiæ P. & Præfecturæ Rángarwalla Syslu *Præpositus.*
DN. HELIODORVS DAVIDIS, Hrunensis Eccl. P. præfecturæq; Arnessyslu *Præpositus.*
DN. JONAS JONÆ, Melensis, & DN. SIGVRDVS OTHONIVS, Stafholtinus, Præfecturæ Borgarfiardar Syslu *Præpositi.*
DN. JONAS ARETIUS, Eccl: VVatsfiordensis P. & præfecturæ Isafiardar Syßlu *Præp.*
DN. HALLGRIMVS PETRÆVS, Hualnesensis Eccl. P.
DN. STEPHANVS HALLKELI, Eccl. Seltiernensis P.
DN. THEODORVS JONÆ, Hytardalensis Eccl. P.
DN. EIOLPHVS JONÆ, Lundensis Eccl. P.
DN. ASMVNDVS EIVLPHIVS, Eccl. Breidabolstadensis P.
DN. BIORNO SNÆBIORNONIVS, Eccl. Stadarstadensis P.
DN. CETILLVS JORVNDI, Eccl. Huammensis P.
DN. PAVLVS BIORNONIVS, Selardalensis P.
DN. GVNLOGVS SNORRONIVS.
DN. JONAS JONÆ, Holltensis Eccl. P.
DN. ASGEIRIVS ENARI, F.
DN. THOMAS THEODORI, F.
DN. STEPHANVS OLAVIVS, Eccl. VVallanesensis P.
DN. GVDMVNDVS LAVRENTII, Kalfafellensis Eccl. P.
DN. THEODORVS GVDMVNDI, F.
DN. MAGNVS JONÆ, Breidabolstadensis Eccl. P.
DN. JONAS DAVIDIS, Arnarbælensis Eccl. P.
DN. GISLAVS THORVARDI, Eccl. VVestmannæiensis Pastor.

POLITICI.

ARNERUS OTHONIUS, *in Islandia Orientali Australiq; Nomophylax.*

MAGNUS BIORNONIUS, *in Boreali atq; occidentali Islandia Nomophylax.*

E Præfectura Gullbringußyslu.

Enarus Othonius, } *judices* *Eiulfus Jonas* } *Coloni*
Thorchillus Olavius, } *Pedanei.* *Biorno Gudmundi* }

E Præf. Kiosar Syßlu.

Ormerus VVigfusi, judex Provincialis.

Thormodus Jonas, } *jud.* *VVigfusus Ormeri,* } *Coloni*
Jonas Thorchilli. } *ped.* *Gudmundus Narfonis.* }

E Præf. Borgarfiardar Syßlu.

Theodorus Henrici & Sugurdus Jonæ, jud. Prov.

Biorno Gislavius. } *jud.* *Sigurdus Gudmundi,* } *Coloni.*
Ionas VVigfusi. } *ped.* *Magnus Jonæ,* }
Otto Thorleifi. } *Jonas Ericius.* }
Martinus Halldori. } *Finno Jonas.* }

E Præf. Snæfellßyslu.

Ionas Illugi. } *jud.* *Thorgilsus Ionæ* } *Coloni.*
Ionas Stendori. } *ped.* *Haqvinus Arneri,* }

E Præf. Dala S.

Bernhardus Petræus, jud. Prov.

Iohannes Eggerti } *jud.* *Thorkillus Ionæ,* } *col.*
Petrus Enari. } *ped.* *Ivarus Arneri* }

E Præf. Barda stranda S.

Magnus Ionæ & Eggertus Biornonis, jud. Prov.

Ionas Thorlacius, } *jud.* *Gudmundus Ionæ,* } *col.*
Ionas Trebonius, } *ped.* *Thorolphus Enari,* }

E Præf. Jssafiardar S.

Magnus

Magnus Gyssurius & Areta Magni, jud. Prov.

E Præf. **Stranda S.**

Ionas Magni, judex Prov.

Sniolphus Bezonius, } *col.*
Olaus Nicolai.

E. Præf. **Hunawatns S.**

Gudmundus Haqvini, judex Prov.

Thorlacus Pauli, } *jud.* *Benedictus Biornonis,* } *col.*
Ionas Egillius. } *ped.* *Thorlacus Theodori.*

E Præf. **Hegranes S.**

Benedictus Halldori, F. judex Prov.

Hallgrimus Halldori, } *jud.* *Carus Bergthori,* } *col.*
Gudmundus Kolbenius } *ped.* *Gudmundus Aretius*

E Præf. **Vodlu S.**

Biorno Pauli, judex Prov.

Hallerus Bernhardi, } *jud.* *Gunnlogus Egilli,* } *col.*
Grimerus Sigurdi. } *ped.* *Ionas Ionæ.*

E Præf. **Tingeyar S.**

Thorbergus Rolffonis & Rolffo Sigurdi, *jud. Prov.*

Nicolaus *Enari,* } *jud.* *Ioachimus Ioachimi* } *col.*
Gudmundus Ionæ. } *ped.* *Arnerus Biornonis*

E Præf. **Mula S.**

Gislaus Magni, judex Prov.

Enarus Magni } *jud.* *Thorgrimus Gudmundi* } *col.*
Thomas Finnonis } *ped.* *Ericus Aresonius.*

E Præf. **Skafftafells S.**

Thorleiffus Magni & Thorstenus Magni, jud. Prov.

Haqvinus Thorsteni, } *jud.* *Nicolaus Thormodi* } *col.*
Sveno *Runolphi,* } *ped.* Stephanus *Eneri,*

E Præf. **Rangarwalla S.**

Haqvinus Gislavius, judex Prov.

Bardus Gislavius, } *jud.* *Marcus Snæbiornonis,* } *col.*
Claudius Eiolffi, } *ped.* *Gudmundus Trebonius.* }

E Præf. Arnes. S.

Thorverus Erlendi, judex Prov.

Gislaus Brynulphi, } *jud.* *Ivarus Gudmundi,* } *col.*
Alfus Gislavius, } *ped.* *Haldorus Ionæ,* }

Ex Inſula VVeſtmannaeyum.

Thorolffus Eiulfi, Colonus.



Is ſub veſperam XXIIX Junii coactis, per præconem indictum eſt, ut primò diei poſteri diluculo in Tentorio Regio, qvod ſolito amplius ad capiendam hanc tam inuſitatam incolarum multitudinem, curâ Præſidis, erectum fuerat, freqventes comparerent. Dictum, factum. Nocte, qvæ ſeqvebatur, elapsâ, ingens factus eſt ad tabernaculum Præſidis Primatum Inſulæ plebisq; etiam, uti fit, promiſcuæ concurſus. Nec mora fuit, qvin intromiſſos riteq; diſpoſitos, ita, ut dextrum latus Eccleſiaſtici, Politici verò ſiniſtrum longo ordine clauderent, Nobiliſſ: ACHELEYE Oratione Danicâ, qvam ex æqvo omnes intelligebant, exciperet. *Non eſt,* inqvit, *dubium qvin vobis omnibus & ſingulis ſatis ſuperq; conſtet (cum id è Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis patentibus Literis & Diplomatibus ad vos datis innotuerit, adeoq; univer-*

ſo

ſo penè mundo cognitum ſit) qvænam fuerit cauſa honoratiſſimi admodumq; ſpectabilis conventus, à Primoribus hujus terræ incolis hodierno die celebrati. Nec qvenqvam latere poteſt, qvod DEO ter Opt. Max. placuerit, Sereniſſimum ac Celſiſſimum Principem ac Dominum, DN. CHRISTIANUM IV. *Daniæ, Norvegiæ, VVandalorum Gothorumq; olim Regem, nunc beatæ glorioſiſſimæq; Memoriæ, ſuperiori anno rebus humanis ereptum, cælo tranſcribere. Qvi qvàm præclarè de Regnis Daniæ & Norvegiæ, eorumq; annexis Provinciis meritus ſit: qvantumq; ea propter mœrorem Beatiſſimi illius Regis obitus ſubditis ejus attulerit, malo in præſenti intactum relinqvere, qvam vulnus illud, cute, qvanqvam adbuc teneriore, obductum refricare. Id enim vosmet ipſi facilius æſtimare poteritis, qvàm ego dicendo exprimere. Ille verus erat PATRIÆ PATER. Ille Deum & ſanctum ejus verbum ſummo amore complexus eſt. Cujus rei, hoc, inter alia, indicium fecit, qvòd verbi DEI miniſtris in utroq; Regno, de neceſſariis, imo abundantibus ſalariis proſpexerit. Jura publica ſarta tectaq; conſervavit. Nunqvam qvis Regum tam freqventibus periculis, terrâ mariq;, pro ſubditorum ſalute, ſe objecit. Nec ullus ſubditorum tàm extrema rerum diſcrimina, pro ſuo Domino, ſubiit. Paucis ut multa complectar: in domo DEI, vivum ſanctorum*

inſtar

instar fuit: terrâ mariq́ fortiſsimus bellator. Cujus memoria animis hominum non excidet, qvam diu lingvæ humanæ ejus laudes ſonare, manusq́ moveri poterunt. Cæterum non paſſa eſt, qvæ cuncta prævidet, Divina Bonitas, hæc Regna diu eſſe ἀκέφαλα. *Neq́ permiſit, ut inclito Regni Daniæ Senatui juſta daretur occaſio, Regem ac Dominum extra Regni limites qværendi* (qvi minori diſcrimine ſumitur qvàm qværitur) *cum Surculum ex tam Auguſta radice gratiosè ſurgere voluerit, Celſiſsimum ac Potentiſsimum Principem ac Dominum* DN. FRIDERICUM III, *Daniæ, Norvegiæ, VVandalorum Gothorumq́ Regem Dominum intra Regni fines patriis Sceptris natum: ejusq́ Imperium clementiſsimè nobis conceſſerit. Qvo nomine, æternis Divinum Numen laudibus â nobis prædicetur oportet. Hujus Regiæ virtutes, amor in DEUM & ſanctum ejus verbum, & deniq́ cura pro ſubditorum ſalute, ſi â me condignis laudum præconiis eſſent celebrandæ, vix permitteret temporis anguſtia: imo verba mihi defutura eſſent, qvibus ea omnia & ſingula dignè & decenter eloqverer. Nos omnes ardentiſsimis votis precabimur, imo, omni dubitationis abjecta aleâ, plurimum confidimus, eum, ut jam Trajano probitate haud cedit, ita divino auxilio Auguſtum felicitate ſuperaturũ. Omnibus & ſingulis qvi annales evolvêre, qviq́*

vel

vel immißitio oculo rationem ſtatus introſpexêre, ſatis notum eſt, qvam oportuni ſint conatibus tranſitus rerum, qvantasq; mutationes, maximorum Heröum Principumq; luctuoſa mors cauſari ſoleat. Qvod genus exemplis ſacræ prophanæq; hiſtoriæ, tam noſtrates qvàm exoticæ abundant. Id qvod etiam facile perſpici poteſt ex iis, qvæ ſecuta ſunt mortem Alexandri Magni: cujus militiæ duces, pro ſuis qvisq; viribus, Regna & dominia ad ſe rapiebant, atq; ita qvaſi diſcerpebant potentißimam illam monarchiam, qvam ille, duodecim annorum ſpacio, magno labore & ſudore comparaverat. Natura *enim* humana eſt imperij avida, & præceps ad explendam animi cupiditatem, *adeo ut dicere audeam* ſine ſucceſſore certo, ad ſe qvenq; publicas vires tracturum. *Qvare paternam hanc DEI providentiam, noſtriq; curam, tanqvam ſingulare qvoddam beneficium æſtimare & venerari nos decet. Et qvia Serenißimus & Clementißimus Rex noſter, ſuperiori æſtate, communibus utriusq; Regni Daniæ & Norvegiæ calculis, ad gubernanda Regia ſceptra, ſolemni ritu eſt cooptatus, æqvum duxit, vos etiam dilectos ſuos ſubditos, in ſocietatem præſtandi homagialis juramenti aſciſcere. Qvippe qvi erga majores ejus Laudatißimos Daniæ & Norvegiæ Reges, vos ſemper fideles & obſeqvioſos præbuiſtis. Ut autem Clementiam Glorioſißimæ*

Regiæ Majestatis re ipsâ experiamini, præfecit terræ vestræ Virum Strenuum & Generosissimum DN. HENRICUM BIELCKE de Elingegaard/ *Eqvitem Auratum, maximarum virtutum à DEO & Naturâ inditarum laude nemini secundum. Cujus fidem & industriam superiori bello, Regnum Norvegiæ expertum est. Ut rem verbo expediam: natione Norvegus est, cujus Regni vos etiam membra estis. De hujus Præsidis vestri propenso in vos affectu, & animi promptitudine ad salutem hujus terræ & commoda incolarum promovenda vos certos & securos esse jubeo. Qvandoqvidem vero Laudatissimus, qvem modo nominavi, insulæ vestræ Præses, & ego, instrumento plenariæ potestatis à Sacra Regia Majestate, instructi, in has Boreales terras appulimus, ut vicarias in homagiali præstandi publici juramenti Actu, cui hic dictus est dies, Sereniss: Regiæ M. nomine obiremus; nullus dubito, qvin singuli vestrum debitâ cum animi reverentiâ & Sanctè meditatâ devotione, solemni juramento, subjectionis fidem sitis testaturi. Deniq; vos tandem amicè compello, ut literas plenariæ potestatis, vobis à sympatriotis factæ, mihi tradatis, ut sic tutior & commodior, ad præstandum juramentum, via pateat.* Hæc Acheleye.

Excepit hanc orationem uterq; Episcopus, Sermone Latino in hanc sententiam: *immortales DEO*

Ter

Ter Opt. Max. se gratias agere, cujus indulgentiâ paternâ ac longanimitate plane indefessâ fiat, ut vulneribus qvæ peccatis hominum, vitaq; scelerum pertinaci accensus inflixit, modo qvasi facti pænitens, converso ab iracundiâ animo, ipse medicam adhibeat manum. Qvam divinæ benignitatis abundantiam inexhaustam, uti nunqvam non aliàs, ita superioribus annis hodieq; etiam luculentissime experta esse hæc duo Septentrionis Regna, Daniam & Norvegiam, una cum Provinciis. Eò qvòd Rege, Pietate, justitiâ, Clementiâq; incomparabili, atq; adeo unica hujus Imperij fatali temporum injuriâ, Proh dolor, vexati solamine, Domino CHRISTIANO IV. *terris sublato, Augustum non passus sit Imperij solium Majestate diu vacare, sed suæ, hoc est, Regiæ restituerit Gloriæ. Argumentum id esse Paternæ DEI erga nos curæ haud postremum, qvòd licet irati patris austeram interdum induat faciem, mox precum humanarum obseqvio mitigatus, lætam pacatamq; ostendat. Mutariq; in Regnis, sicut in scenis, Personas sinat, non penitus interire: cum hac ratione prævideat, etiam ipsa regna brevi momento ruinam insignem tractura. Et qvod floribus pratorum soleat evenire, qvi nivium hybernarum mole laborantes decidant; incalescente autem vernæ temperiei fotu atq; Favonio, novi subnascantur, decore prioribus nihil cedentes: id*

 ipsum

ipſum his regnis provinciisq́, anno ſuperiore obtigiſſe. Sæviiſſe in nos tum hyemem maximâ clade notabilem, non liliis aut floribus agri communibus, ſed corona florum omnium, in gemino hoc Daniæ & Norvegiæ horto ſatorum, ſpoliatam. Nunc autem hyeme illa lachrymarum, grata veris vice, ſoluta, novum in viridario Reip. Arctoi orbis Florem, pullulaſſe, eumq́ ut priſtino, qvod deciderat, ſemine ſatum: ita ſuæ Auguſtæ originis memorem: & qvicqvid floridum ac pulchrum ſit, venuſtate longè exuperantē. Hunc igitur diem ſibi inſtar immortalitatis eſſe, qvo ad eligendum acceptandumq́ tam ſangvinis qvam ſapientiæ virtutumq́ jure, legitimum Regni ſucceſſorem ac Hæredem invitentur. Ad qvod obſeqvij genus exhibendum ſe jam pridem adeo fuiſſe accinctos, ut nulla de re ardentius unqvam diligentiusvè ter venerando Numini, qvam ut idipſum ſibi faciendum foret, ultro ſupplicaverint. Laudandum itaq́ DEUM, qvi nunc demum clementer præſtiterit, qvod ſollicite hactenus ambiverint. Deniq́ gratias deberi nunqvam intermorituras SERENISSIMÆ REGIÆ MAJESTATI, qvæ gentem Islandorum pauperculam, atq́, ob inſignem ab aliarum conſortio locorum diſtantiam, valdè obſcuram, non indignam duxerit, cujus ſuffragia in præſtando, una cum cæteris Provinciarum ſociis homagio reqvirerentur. Nunc itaq́ ex communi & rato omni-

omnium incolarum conſenſu, obſeqvium, fidem, ſubjectionem, prædicto Regi, æterna veneratione digniſſimo DN. FRIDERICO III. *Daniæ & Norvegiæ, VVandalorum Gothorumq́ Regi coronato, ſe promptè ac libentèr deferre: Vitam longævam, Imperium felix, Exercitus fortes, Conſiliarios prudentes, Pacem tutam, & qvæcunq́ præterea Regis vota eſſe poſſint, eidem humillimis votis optare.* Converſa tandem ad Commiſſarios eſt oratio. *Eos qvoq́ gratitudinis meritos eſſe qvàm plurimum. Qvi negotium Regium, tantâ in Regem fidelitate, & in ſe humanitate expedire dignentur, qvanta qvam maxima qveat excogitari. Polliceri ſe viciſſim illis omne, qvod à grata mente proficiſci poſſit & debeat, inſerviendi ſtudium, & facilem deniq́ mandatæ rei executionem, cum ſalvo in Patriam reditu, ſeriâ devotione precari.*

In hanc ſententiam ubi Superintendentes diſtinctis orationibus dixiſſent, cæpere Nomophylaces, ſed paucis, à ſiniſtro (uti dictum) latere agmen ſecularium ducentes. *Qvæ à Viris Reverendis & Clariſſimis, Eccleſiarum Patriæ Antiſtitibus fideliſſimis pronunciata ſint, ea ſe univerſæ etiam Politiæ nomine rata habere omnia. Adeoq́ nihil reſtare qvod addant: Siqvidem de privilegiis, qvæ partim Regum veterum indulgentiâ, Islandis olim conceſſa fuerint,*

 par-

partim à successoribus per diplomata literasq́ paulatim recepta, sartis tectisq́ porro obtinendis, per Commissarium securi reddantur. De cætero, se qvoq́ sua conjuncturos vota: Faxit Regum Rex DEUS, ut hæc fides servetur, ad nominis sui sacrosancti gloriam, qvæ cum honore DN. FRIDERICI III. *& legitimorum in Regno successorum, Islandorum vero perpetuâ utilitate sic conjuncta.*

His dictis, literæ plenariæ potestatis Oratori traduntur, manusq́; Commissario â singulis porrigitur.

Dimisso deinceps in sua tentoria populo, mox conventus in loco comitiis solennibus destinato futuri, signum ære companô datur. Ad qvod catervatim incolæ confluebant. Cancellos autem qvorum ambitu claudi consveverunt, qvi lites disceptantium decidunt (nostrates Laugrettu vocant) nemo ingrediebatur. Sed nec diu fuit, cum secuti Commissarij in medio circumfusæ multitudinis constitere. Conversusq́; ad populi Primates, Insulæ Præfectus, atq́; in primis Ecclesiasticos, *Qvodnam*, inqvit, *Regiæ protectionis munus sit, & è diverso subditorum erga Regem legitimum obseqvium, nemo vestrum est, qvi in hoc amplissimo conventu comparet, qvi nescire potest. Debent hi illi, præter honorem, & obseqvium, etiam fidele in omnibus servitium, & pro facultatum cujusq́ ratione, spontaneam tributi pensionem, idq́ ex*

Spi-

Spiritus DEI irrefragibili decreto. Quæ omnia vos, ficuti Regna cæteraq; Provinciæ præstare haut detrectarunt, DN. FRIDERICO III *Regi vestro humillimâ animorum subjectione facturos esse, oratione in longas diducta periodos suaderem, nisi fidelitas & promptitudo vestra mihi cognita & perspecta esset. Ego vicissim vobis nomine Clementissimi Regis, Clementiam, defensionem, Æqvitatem, & qvæcunq; præterea à Rege Christiano & pio expectari debent in subditos, sanctè promitto.*

Annuebat dictis universa provincialium multitudo, tribusq; saltem verbis ab Episcopis responsum. Non id tam seriò imperari, qvàm libenter à se præstari. Atq; ita in fidem Regi Daniæ & Norvegiæ DN. FRIDERICO III. servandam conceptis verbis, qvæ clarâ voce præibat Commissarius, juratum est, & primo qvidem ab Eipiscopis omnibusq; simul Ecclesiarum ministris: qvi ad oram, loci comitialis occidentalem, tribus digitis sursum erectis, genibus insistebant. Deinde à Nomophylacibus & provinciarum præfectis, qvi intra terminos loci patrio dicundo juri consecrati, eodem modo venerabundi considere. Agmen claudebant judices pedanei, hisq; commixti singularum provinciarum coloni.

Qvi

Qvi cùm Actum homagialem manuum ſtipulatione concluſiſſent, ſigno per tubicinem facto, pulvis nitratus è tormentis æneis vi ignis excuſſus, tria ingentia in circumjectis vallibus edidit tonitrua. Adaugebant ſoni vehementiam abrupta Marpeſiarum cautium editiſſimarum, ſaxorumq; hiantium præcipitia, adeo ut qvæ unicum exploſæ machinæ ſonum receperant, geminatum, triplicatum, imo multiplicatum certis intervallis redderent fragorem. His ita peractis, & Homagio præſtito, comitia biduo, prout cauſarum ratio ventilandarum reqvirebat, freqventabantur. Qvibus ſub veſperam diei ſecundi, qvi in XXX Junij incidebat, finitis, Præſes inſulæ, omnes qvi convenerant, præ cœteris verò, qvi è promiſcuâ plebe delecti, in obſeqvium Regis pridiè jurarant, ad convivium invitandos curat. Nec mora fuit, qvin vocati venirent, introirent, diſcumberent, ſuum, qvem prius ſinguli ſervantes ordinem. Menſa cui accumbebant, opiparo lautitiarum apparatu inſtructa, cum ipſius tabernaculi in XL cubita porrecti longitudine certabat. Tantaq; inter primum atq; ultimum aſſeſſorem intercapedo viſa, ut hic ab illo de facie, qvantumvis familiari cognoſci neqviret, veſperâ inſuper in qvam jam dies flecti cæperat, tuentium aciem obnubilante. Auxit non parum hunc convi-

varum

varum numerum, judicum pedaneorum, colonorumq; maxima adhuc multitudo, intra sepimenta qvædam cespititia collecta. Cui licet in tentorio amplissimo, præ honoratioribus, non vacaret locus; epulæ tamen nihilo parcius fuerunt exhibitæ. Enimvero neq; literis veterum, neq; memoriâ modernorum proditum animadvertimus, æqvè solemnem sive magnificum in terrâ nostrâ consessum, antea unqvam, fuisse celebratum. Qvanqvam inficiari non licet, honesta convivia, ut veteribus nostris; ita hodiernis etiamnum in usu esse. Qvâ de re testimonium allego Clarissimi DN. ARNGRIMI JONÆ, Islandi, Rerum Islandicarum Scriptoris longè exqvisitissimi: Cujus verba è Crymogææ Lib. I. cap. 6. huc transcribere libuit. Ubi post assertam Islandorum frugalitatem, luxus & gulæ irritamentis carentem, in liberalitatis eorundem narrationem, his verbis diffunditur. *Nihilominus tamen* (inqvit) *honestis conviviis & consessibus minimè carebant nostri veteres, & qvidem sine sorditie, sive convivarum numerum, sive exhibitorum conviviorum tempus spectemus. Etenim Theodorus & Thorvaldus fratres, Borealis Islandiæ cives in* Hialltadal/ *patri suo Hialtæ justa solventes, convivium mille ducentorum capitum exhibuerunt, dies integros XIV. Potioris notæ viris*

munere aliqvo ornatis. Et Occidentalis Islandiæ incola, Olaus cognomento PA, cum fratribus duobus, sumptus fecit nongentorum virorum convivantium; etiam ad diem usq; decimum qvartum; viris primoribus non indonatis dimißis. Et hæc qvidem convivia (cujusmodi infrà plura commemorantur) privatis sumptibus exhibita sunt: sine notabili rei familiaris detrimento. Ista vero victualium tàm benigna copia, & ingenium gentis tàm liberale & à sorditie alienum, summam in hac natione, si qva alia, hoßpitalitatem, etiam in peregrinos gignebat: qvæ in Islandiæ laudibus non postrema, hoc brevi elogio sit contenta. Hactenus ille.

Verum hæc & hujusmodi exempla, qvæ non opus est, inde â Seculo Ethnicorum arcessamus, cum nupera ubertim suppetant, præsens longe exuperat: sive convivantium spectetur dignitas, sive ipsius convivij magnificentia. Nam præter honorificam Virorum Nobilium ac Strenuorum præsentiam, qvæ in primâ qvidem Elogij parte ponenda, è qvalibet Insulæ provincia, potioris notæ cives in unum coactos videre erat: secus atq; in priscis illis factum arbitramur. Tum qvantum magnificentiæ huic consessui addiderit ignotus ei loco, tormentorum usus, exqvisitus ciborum apparatus, poculorum

sapi-

ſapidus liqvor, cuivis ſuopte ingenio colligere promptum erit, Etenim dum ſic

Regificè extructis celebrant convivia menſis, ad ſingulos crateras, in honorem devotamq; memoriam, primum Regis ac Reginæ, Liberorumq; Regiorum, deinde Regni utriusq; Senatorum, ac ipſius tandem Islandiæ epotos, dum triplicatâ è regione aſſurgentium ſerie, haurirentur, tria gratulabunda ſonuere Sclopeta. Qvorum ceſſantibus interdum fulminationibus, tuba ductilis per claſſicum inflata, aures accumbentium mirâ ſvavitate oblectabat. Obſervatum eſt tormentorum exploſionem, ſexagies ter, eâ nocte auditam.

Dum ſic ſulphureæ jaciuntur in aëra glandes,
Ignitæq; ruunt ſonitu per inane volucres
Flammivomo, mediisq; micant fumoſa tenebris
Fulgura: ceu nubes illuni nocte coruſcat
Altitonans, rutilisq; gemit mugitibus æther.
Ecce tremit valido tellus exterrita motu!
Saxaq; monſtroſas pandunt diſrupta lacunas!
Deſidunt celſi, qvaſſo fundamine, colles,
Arduaq; evadunt juga vallibus æqva profundis.
Franguntur rapidis montes, hinc, inde, ruinis,
Et ſecum latè radicibus eruta ruptis
Obvia qvæq; trahunt, & qvà via ducit euntem
Molem, præcipiti volvuntur in æqvora curſu.

Vos qvoq; Cyclopum, qvos sustinet Hecla, Camini,
Dejecisse nives juvit, qvæ culmina celsi
Verticis obsedere diu: nudâsse cacumen
Non piguit, vestrum qvo conferretis honorem
Ad Sacra qvæ lætæ celebrârunt Regia pompæ.
Nec tu Byrda tui, nec tu Snefelle fuisti
Immemor officij: Simul ac solemnia fando
Tanta propagantur, volucri fastigia saltu
Tollitis, inqve solum demissâ fronte, fluentes
Concretam senio glaciem mutatis in undas.
Hic, puto, gestus erat profusæ splendidus index
Lætitiæ, vestri sic promere signa triumphi,
Hisq; novo libuit studiis assurgere Regi.
Solvitur in calidos Islandia frigida plausus:
Haud secus ac qvondam, rubras emensa paludes
Rege Ægyptiaco, revoluti turbine ponti
Correpto, Judæa phalanx festiva levatis
Jubila clamabat palmis, pede fertile tundunt
Fæmina virqve solum, pueri innuptæq; puellæ.
Obstupuit novitate rei gens talibus antè
Haud assveta sonis, fumos miratur & ignes,
Et cum terrificis strepitantia fulmina bombis.
Horrescunt qverulæ pavidâ formidine turbæ
Erectisq; preces ad cæli sidera palmis,
Ingeminant, ô parce DEUS, DEUS alme pusillo
Parce gregi! rapidosq; tuæ, qvæ in Tartara trudit,

Tor-

Torrentes cobibe, nunc, nunc resipiscimus, iræ.
Siccine nos Elementorum certamina solos
Infestant! Sic æthereos sentire furores
Præ reliqvis meriti fuimus? fremit axis, & aër
Æstuat, iratasq; minax furit Ignis in undas.
Da pacem pater! ô pacem concede, perimus!
Qvò fugimus? Cœli ruit arx, hominumq; vacillans
Terra recusat onus. Nonne hæc erit ultima mundi
Ætatem clausura dies? qva vectus in arcu
Iridis advenies, vastam virtute tremendi,
Qvæ manibus tàm pulchra tuis est condita, molem,
Fulguris, in subitas rediges nunc, Christe, favillas?
Hiccine cælestis clangor Tibicinis, aures
Qvi ferit? Et longo putrefacta cadavera somno
Excibit tumulis? Concordant omnia scriptis.
Sistite perculsi trepidantem pectoris æstum:
St! rediit sine nube dies, & fulmina cessant.
Postqvam ita compositis convivia ducere mensis,
Desierant, calidum circumq; rotare Falernum,
Discessum est, propriosq; revisit qvisq; Penates.
O qvem non piguit tantos expendere sumptus,
Inclite REX, atq; hæc fecisti gaudia nobis,
Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

ITE, MISSA EST.

❧(O)❧


Unctiparæ tristi vultu solet esse parentis,
In circumfuso qvod jove pendet, onus:
Clara supercilio vestit cum lumina Titan,
Qvi præbet reliqvis ignibus ipse facem.
Occidit Europæ SOL & CYNOSURA potentis,
Orbis Apex, gemini, Gloria, Fama, poli.
Dania CHRISTIANI flevit cum funera qvarti,
Et Thyle Arctoi margine cincta maris.
Solve precor longo, te solve Islandia luctu,
I repara niveas Parrhasis ursa comas!
Jo rediit Septen SOL & CYNOSURA trionis!
Tertius Imperium REX FRIDERICUS habet!
Tetrica cesserunt piceæ velamina noctis,
Vernus & Arctoo fulget in orbe dies.
Passibus æthereos æqvant nova gaudia tractus,
Cantatur tereti Regius ore Decor.
Rupis amans REGI reparabilis assonat Echo,
Et qvæ secessus Numina ruris habent,
Movisse immensam tu crederis Insula molem,
Applausu felix, ô Crymogæa, tuo!
Antè Lycaonio fugiet de gurgite Thyle,
Heclaq; per refluos nabit adusta sinus.
Qvam sua MERCURIUS reticescat gaudia LÆTUS,
Missus hyperboreis, per vada salsa, jugis.

LÆ-

LÆTUS MERCURIUS
AD
DANIAM.

SIdereos tua jam conscendit gloria tractus
Dania, confines jam tibi cælicolæ.
Funerei vaga post, nosti qvæ, tempora planctus,
Æthere fax toto stat nova Lætitiæ.

LÆTO Homagii Islandici
MERCURIO ita congratulatus est

PAULUS HALLERUS
Islandus.

MAttugur dijrdar Drotten/
Digdugur Himna bigda/
Kong Born late leinge/
Leidast framm med Heidur/
Siguren filge frægum/
Falle ad giæfan Snialla/
Æru i Eingla Korum/
Ad Endalokum hende.

Heidur

Heidur prijde hallde Snilld/
Herran firr og Nærre/
Þeingill fange Valld ok Villd/
Vafen giæfu Kiærre/
Bragning tignar Blidann Gud/
Blome er geimer Landa/
Drottenn Veitt hefur Dada aud/
Digd og Frægd til handa.

F. BIORNO MAGNI F.
Islandus.



1650.